

## C A P V T VII.

## De Victu Antiquorum.

*Cur antiquorum victus & incognitus sit.*

**Q**Valis fuerit vita antiquorum, scire difficile videtur non solum ob inconstarem diuersorum hominum historiam, sed etiam quod variis gentibus varia fuerint viuendi instituta. Quapropter & à verisimilibus, & à fide dignis authoribus, & quatenus ad præsentem tractationem pertinet, fidem accipere conuenit. Refert C. Cæsar Germanos vino caruisse, nec importari. Tacitus vsos pomis, & fera recenti, concretoque lacte segetem corruptam, qui mos est etiam nunc pro vino habitam, inebriarique solitos: hoc volui dixisse quod apud Barbaras gentes id in vsu esse existimem, quod antiquo tempore apud cultiores homines.

Habuerunt aliqui & ientaculum, & aristum, deinde prandium, quod dipnon vocabant, & cœnam seu vespertinas epulas, aliter aristum, dorpsatum, dipnum, epidorpida aristovtebantur sub aurora, ientaculum tertia diei hora, quo & nunc gulones vtuntur, dipnum meridie cœnam vesperi. Piscium vsus tardior fuit ob retia, habitationes in speluncis montium, & maximè in promontoriis, & iuxta lacus ob potum, & vt se lauarent, inde planicie dulcedine allecti, tuguria ex terra, & casas conficerunt, nutibus actum fabulosum est, & Diodoro Siculo dignum, namque Adam loqui nquit, & omnes posteri, & non magis muta gens quam mare non salsum, huiusmodi ergo ratio victus robustissimis ad vitæ longitudinem, & incolumentem, & *ἀπαθέτων* utilis imbecillibus ad breuem vitam: ita enim rusticorum victus, si non immodicis laboribus exhaustirentur, atque hæc proportione regionum, tardior enim vsus ciborum, qui arte parantur in extremis mundi partibus simplicis antiquior, nam vt Aristoteles in primo Metheororum declarat, altiores esse Boreales partes, hanc ætatem curis solutam auream vocauere, existimat Plutarchus Theseum primum fuisse, qui congregauerit Athenienses Hesiodi vt Poëtae lactationem septem annorum, & vitam centum quinquaginta, & vt Græci fabulosam esse haud dubium est.

*Nota.*

## C A P V T VIII.

## De Victu eorum qui dentibus carent

*Dentes anteriores & mandibulares.*

*Molare cibum exquisitè sponset.*

**D**entes anteriores magis faciunt ad decorrem, & ad sermonem, sed magni & mandibulares ad salutem, & vitam vnde elephantes quia illos habent robustos, licet careant anterioribus omnium consensu ducentos viuunt annos, sunt qui referunt trecentos: molere enim cibum exquisitè ad vitæ longitudinem plurimum refert: sed neque eadem est ratio, si inconditi sint, aut vna

ex parte tantum deficiant, inconditos habere paulò minus est, quam nullos habere: quod si vno tantum latere supra, & infra habeat, ex illa parte mandat, verum vbi vsus illorum valde lœsus est, vel quia desint plures, vel quia molares ultimi, qui maximè molunt, aut quia inconditi sint, aut quia dolori, aut mobiles, aut stupidi, aut imbecilles, aut inæquales, vt aliqui erosi sint, alij sint iustò longiores, perinde fermè est (imò forsitan deterius ob fiduciam) ac si quis omnino caret. Non esse autem vitæ necessarios compertum est multorum experimentis, qui propè centesimum annum vixerunt, cum in iuventa carere dentibus cœpissent, velut Iacob Hebræus Papiæ, & pater meus, aliisque multi, de quibus in primo de Dentibus diximus. Verum vt dentes non necessarij vitæ sunt, ita si quis dentibus carens viuere velit, vt qui dentes bonos habet, multum è vita adimet, & in morbos graues decidet, maximè cruditates, ventriculi imbecillitatem, obstructionem, & renum lapidem. Cibus enim non bene mansus, hæc præcipue incommoda affert, vna ergo est ratio vitæ eorum, vt liquidis, aut sorbitonibus vtantur. Hic igitur maximè conuenit panis coctus, est enim optimi alimenti, si minus in iure diu madefactus. Ius autem & piscium, & oleum etiam, sed minus. Sub piscium genere compræhenduntur chamæ, & conchæ, & intestinorum, & pedum quadrupedum. Et aqua cocta cum butyro, & etiam cum oleo ius facit. Secundum præsidium est à vitellis ouorum, aut laete, quibus lac noxiā nō affert. Tertiū est, vt panis quam lauissimus, & mollis, sed bene coctus, & fermentatus crusta sicciore purgatus, diù mādatur, sed & mollia fercula ex oleribus, sed non adeò bona vt ptisana, quæ tamen inferior est longè alica, & hæc chondro, & oriza. Videntur enim hæc duo, & panis ex iure optima. Ptisana enim tenuiter nutrit, & similiter amygdala pro ferculo sumpta, Melior est cum saccharo mista, & cocta pro torta vt sit suavis cibus. Ultimum è melioribus est vua passa Cretica recens. Carnes non nisi dissolutas, & quæ filis carent, edere expedit: ideoque glandosæ conferunt, & iecora omnia parientium oua, modò non adeò exigua sint: Sed ex auibus, ac piscibus, tum ventriculis etiam auium, nam omnia talia facilimè cōcoquuntur. Quantò ergo præstat sorditionibus vti, tantò magis vtile erit à potu abstinere. Itaque potus sit exiguis, atque non simul sumptus, sit autem in plures partes diuisus, & cùm cibum liquidum esse necesse sit, tantò magis abstinere à potu atque agitatione, tum etiam labore conuenit. Porro de dentium cura sex libros conscripsimus locupletes, & propter hæc de his dicendum non est. Ius autem suave sit, ex piscibus, aut omni pingui, & cum oleo, sale addito, & petroselino communi, tum porris aut cæpis, sed quoniā hæc nocent dentibus, & malumoris odorem parient, cùm alioquin senum spiritus raro bene oleat, contrario quippe puerorum, rotemarinum cum petrosilio, oleo passis, vnis, salis modico, & acetii guttula, commendari debere censeo, siquidem rosmarinus incidit, mollit, detergit, sudoremque prouocat, sed

*Dentes non esse necessarios vitæ.*

*Cibi non bene mansi in comoda.*

*Eorum visus di ratio.*

*Potus exiguus.*

*Ius suave quid.*

&